

224

Lib. II. Cap. II.

natur, prædicatum distinctum adesse necesse est, in locum subjecti transponi possunt: distincte autem apparet per resolutionem. Unde frustra iterum d. l. dicit Gass. non esse hanc resolutionem necessariam,

23. Nota 3. de copula, quod quando explicitè ponitur, non sit pars prædicati. e. g. cum dico: *Alexander est fortis, & EST* non est pars prædicati, quia si esset pars prædicati, in conversione fieret pars subjecti, quod sicut falsum, ita admitti quoque non potest alterum, quod sit pars prædicati. Vid. B. Stahl. qu. Log. 41. Observa autem, quod copula sit duplex, vel *principalis* vel *minus principalis*. Illa prædicatum & subjectum totius enunciationis connectit; hæc verò in subjecto vel prædicato continetur e. g. *homo est animal, & EST* est copula principalis; cum verò dico: *Qui est credens salvatur, & EST*, ad subjectum spectat, & est copula minus principalis. Hic sermo est de copula principalis, quæ pars prædicati non est.

24. Denique de copula nota 4. quod non sit forma enunciationis, ut vulgo creditur, sed sit saltem instrumentum, quò partes enunciationis ununtur & coherant, quam ob causam etiam Philopono ligamenti nomine venit, quo tamen non obstante est etiam pars enunciationis,

25. Cæterum de reliquis etiam partibus,

sub: